

GEORGICON II

terrea progenies duris caput extulit aruis,
 immissaeque ferae siluis et sidera caelo.
 nec res hunc tenerae possent perferre laborem,
 si non tanta quies iret frigusque caloremque
 inter, et exciperet caeli indulgentia terras. 345

Quod superest, quaecumque premes uirgulta per agros
 sparge fimo pingui et multa memor occule terra,
 aut lapidem bibulum aut squalentis infode conchas;
 inter enim labentur aquae, tenuisque subibit
 halitus, atque animos tollent sata. iamque reperti 350
 qui saxo super atque ingentis pondere testae
 urgerent: hoc effusos munimen ad imbris,
 hoc, ubi hiulca siti findit Canis aestifer arua.

Seminibus positis superest diducere terram
 saepius ad capita et duros iactare bidentis, 355
 aut presso exercere solum sub uomere et ipsa
 flectere luctantis inter uineta iuuenos;
 tum leuis calamos et rasae hastilia uirgae
 fraxineasque aptare sudes furcasque ualentis,
 uiribus eniti quarum et contemnere uentos 360
 adsuescant summasque sequi tabulata per ulmos.

Ac dum prima nouis adolescit frondibus aetas,
 parcendum teneris, et dum se laetus ad auras
 palmes agit laxis per purum immissus habenis,
 ipsa acie nondum falcis temptanda, sed uncis 365
 carpendae manibus frondes interque legendae.
 inde ubi iam ualidis amplexae stirpibus ulmos
 exierint, tum stringe comas, tum bracchia tonde
 (ante reformidant ferrum), tum denique dura